



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 183. Quale debeat esse adulterum, ut ex eo nascatur dictum impedimentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

ita ut sensus sit; tunc tantum invalidum est prohibitum matrimonium inter adulterum & adulteram, quando una cum adulterio intervenit fides data de matrimonio, vel machinatio mortis; vel etiam, ut exponunt Castrop. *d. 4. p. 12. n. 2.* Gutt. *c. 105. n. 2.* Cöninck. & alii, intelligendum est demonstrativè & determinativè prius doctorum, ita ut sensus sit: *illam inquam prius pollutam, cui fidem dederat* &c. Patet tertio, è contra neque sufficere solum contractum, vel promissum matrimonium sine adulterio, quò minus quis post mortem uxoris suæ legitimæ cum ea, cui fidem dedit matrimonii de præsentè vel futuro contrahere possit matrimonium. *c. si quis. fin. h. t. Host. ibid. col. 2. v. cate- rism. Gl. ibid. v. cognovit eandem.* Pirh. *h. t. n. 13.* De cæterò perinde est sive adulterium præcedat sive subsequatur promissionem de contrahendo matrimonio, vel etiam illud attentativè seu de facto contractum; in utroque enim casu reperitur ansa capiendæ mortis conjugis, cujus evitatio est ratio movens Ecclesiam ad hoc impedimentum statuendum. Sanch. *l. 7. d. 79. n. 3.* Castrop. *l. c. Pirh. h. t. n. 1.* Alex. *ad c. fin. h. t. n. 4.* cum communi.

Alterum crimen est occisio seu machinatio mortis proprii vel alterius conjugis cum proposito contrahendi postmodum matrimonii, cum altero conjugesuperstite; Pirh. *n. 16.* vel ut Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1.* cum proposito alterius determinati matrimonii contrahendi; vel etiam ut Castrop. *n. 2.* est adulterium una cum occisione proprii vel alieni conjugis; pro ut diversæ sunt sententiæ circa plura requisita ad hoc, ut hoc impedimentum ex conjugicidio incuratur; de quibus in sequent. 99. habetur autem illud in *c. significavit. c. significasti. c. super eo. h. t. c. si quis vivente. 31. q. 1.*

Quæst. 183. Quale debeat esse adulterium, ut ex eo nascatur dictum impedimentum.

1. Resp. primò: In utroque casu, sive dum conjungitur cum machinatione mortis, sive tantum cum promissione matrimonii, debet imprimis esse verum adulterium; adeoque requiritur primò, ut sit perfectum seu consummatum per copulam, quæ aliàs consummatur matrimonium, nimirum habitam intra vas femineum cum seminatione. Gl. Abb. Card. *in c. fin. h. t. Sanch. l. 7. d. 79. à princ. Gutt. c. 105. n. 28.* Castrop. *l. c. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 15.* Laym. *l. c. n. 4.* Secundò, ut matrimonium habentium inter se copulam sit validum; si enim revera tale non est, etsi putetur tale, promissio matrimonii facta complici, non dirimat matrimonium subsequens cum eo. Sanch. *n. 30.* Gutt. *n. 24.* Pirh. *n. 6.* & 10. Castrop. *l. c. juxta c. 2. h. t.* ubi, quòd matrimonium ex gravi metu initum, adeoque ipso jure irritum, nisi postmodum redditum validum per ratificationem expressam vel tacitam, nimirum per copulam spontaneam & affectu conjugali habitam, non dirimat matrimonium subsequens cum complice delicti; item juxta *c. veniens. h. t.* ubi quòd, licet vir jam habens uxorem mala fide contraxit & consummavit matrimonium, cum alia ignorante hunc virum esse conjugatum, possit post mortem primæ suæ uxoris cum hac secunda de novo contrahere matrimonium. Sufficit autem, quòd matrimonium illud prius fuerit ratum tantum, ut quoque dicitur *cit. c. 2.* aut etiam dissolutum quò ad thorum per divortium. Sanch. *n. 44.* Pirh. *n. 15. in fine.* Unde jam
R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. IV.

2. Resp. secundò: Non sufficit committi adulterium materiale, sed in utroque casu requiritur formale, nimirum, ut uterque adulterans sciat suum complicem esse conjugatum; aliàs enim non erit adulterium formaliter commissum ex parte utriusque, quòd requiritur hinc femina etiam conjugata, si copuletur viro, quem nescit esse conjugatum, animo & promissione cum eo ineundi matrimonium, non impeditur mortuo suo illiusque conjugate cum eo contrahere matrimonium; & ratio est; quia in eo casu ignorati conjugii non potest esse machinatio mortis, saltem ex parte utriusque. Ita Sanch. *d. 79. n. 31.* Gutt. *l. c. n. 15.* & 14. Castrop. Laym. *l. c. Pirh. n. 14.* juxta *c. 1. & penult. h. t.* Porro ab hoc impedimentum incurriendo excusare quamlibet conjugii ignorantiam, & jam crassam & supinam, tenent Sanch. *n. 28.* Rebell. *l. 3. q. 8.* Pirh. *n. 3.* eò quòd sit ignorantia, non juris, sed facti; in facto autem excuset qualibet ignorantia; *c. ignorantia. de reg. jur. in 6.* quin & ad adulterium requiritur dolus, juxta *l. penult. ff. in leg. Jul. de adul.* dolus autem consiliteri nequeat, cum ignorantia. Verum tamen contrarium, nempe solam ignorantiam probabilem, quippe quæ sola excuset à culpa adulterii, excusare ab hoc impedimento, tenet Castrop. *cit. n. 8.* citatis Nav. *c. 22. n. 46.* Valent. *Tom. 4. d. 10. q. 5. p. 3.* Cöninck. *d. 31. du. 5. n. 61.* Gasp. Hurt. *d. 23. diff. 2. n. 7.* ad *cit. l. penult.* dicunt, adulterium non reputari stante ignorantia quacunque ad incurrendas penas in ea lege statutas, quæ utpote gravissimæ merito exigant adulterium dolo malo commissum; dictum vero impedimentum non tam statutum in penam adulterii, quàm pro removenda occasione infidiandi vitæ conjugis.

Quæst. 184. An & qualiter adulterium & data fides adulteræ de matrimonio debeant concurrere durante eodem legitimo matrimonio.

Resp. Requiritur ad hoc impedimentum incurrendum, ut adulterium committatur, & vel matrimonium de præsentè attentetur, vel promittatur, durante eodem legitimo matrimonio; ita ut fides data matrimonii de præsentè vel futuro tempore prioris conjugii legitimi Titii cum Caja, adulterium verò commissum tempore alterius legitimi matrimonii posterioris ejusdem Titii cum Berta, possit adhuc adulter mortua hac secunda uxore, ducere adulteram; eò quòd per secundum illud matrimonium legitimum adulter recesserit à fide data adulteræ, spesque ineundi matrimonium cum adultero extincta sit per secundum illud matrimonium; adeoque etiam sublata occasio machinationis mortis uxoris legitimæ, Ita Laym. *l. c. num. 4.* Sanch. *cit. d. 79. num. 5.* Pirh. *num. 14.* Sylv. *v. matrimon. 8. q. 9. dicto 5.* Sotus *in 4. d. 37. q. unio. a. 4.* Pari modo, si è converso adulterium commissum sub priori matrimonio, & fides data sub secundo, non incurritur dictum impedimentum contrahendi cum adultera. Sanch. *num. 6.* Laym. Pirh. *l. c. Cöninck. cit. du. 5. num. 6.* cum jura ideo videantur requirere simultatem adulteris cum data illa fide sub eodem matrimonio, seu vivente eodem conjugate, ut eidem matrimonio irrogetur injuria præbita occasione occidendi eundem conjugem. De cæterò notat Kriper, *de matrim. n. 1007.* quòd si eodem matrimonio stante facta promissio matrimonii, & simul commissum adulterium,